

Q · SEPTIMII FLO

RENTIS TERTULLIANI, DE
RESURRECTIONE
CARNIS, LIBER.



FIDUCIA Christianorum, resurrectio mortuo-
rum: illa credentes sumus, hoc credere ueritas cogit.
Veritatem deus aperit. Sed uulgus inridet, existi-
mans nihil superesse post mortem. Et tamē defun-
ctis parentant, & quidem impensissimo officio p-
moribus eorum, pro temporibus esulentorum: ut
quos negat sentire quicquid, etiam desiderare praesu-
mat. At ego magis ridebo uulgus, tunc quoque cū
ipsum defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, is-
dem ignibus & promerens & offendens. O pietatem de crudelitate luden-
tem: sacrificat, an insultat, cum crematis cremat? PLANE cum uulgo inter-
dum & sapientes sententiam iungunt, Nihil esse post mortē, Epicuri scho-
la est. Ait & Seneca, omnia post mortem finiri, etiam ipsam. Satis est autē,
si nō minor philosophia Pythagorae & Empedocli. Sed Platonici immor-
talem animam ē contrario reclamant: imō adhuc proxime etiam in corpo-
ra remeabilem adfirmant, Et si non in eadem, & si non in humana tantum-
modo, ut Euphorbus in Pythagoram, Homerus in Pauum recēscantur.
Certe recidiuatum animae corporalem pronunciauerūt, tolerabilius muta-
ta quā negata qualitate: pulsata salute, licet non addita ueritate. Ita secu-
lum resurrectionem mortuorum, nec cum errat, ignorat. Si uero & apud
deum aliqua secta est Epicureis magis adfinis quā prophetis, sciemus
quid audiāt à CHRISTO Sadducæi. CHRISTO enim seruabatur omnia
retro occulta nudare, dubitata dirigere, praelibata supplere, praedicata repre-
sentare: mortuorum certe resurrectionem, non modo per semetipsum, ue-
rum etiam in semetipso probare. Nunc autem ad alios Sadducæos prapa-
ramur, partiaris sententiae illorum. Ita dimidiam agnoscunt resurrectio-
nem, solius scilicet animae, aspernati carnem sicut & ipsum dominū carnis.
Nulli denique alij salutem corporali substantiae inuident, quā alterius diui-
nitatis haeretici. Ideoque & CHRISTVM aliter disponere coacti ne creator
carnis habeatur, in ipsa prius carne eius errauerunt, aut nullius ueritatis cō-
tendentes eam secundum Marcionem, & Basiliden, aut propriae qualitatis
secundum haereses Valentini, & Apellen. Atque ita sequitur, ut salutem eius
substantiae excludant, cuius CHRISTVM negant, certi illam summo praeiu-
dicio resurrectionis instructam, si iam in CHRISTO resurrexerit caro. Pro-
pterea & nos uolumē praemisimus de carne CHRISTI, quo eam & solidā
probamus aduersum phantasmatis uanitatem, & humanam uindicamus
aduersus qualitatis proprietatem, cuius conditio CHRISTVM & hominē
& filium

judicio impiorum in oib; inuenit

*Al's *crematos.
Epicurus.
Seneca.
Pythagoras.
Empedocles.*

*Plato pro immortali
Euphorbus.
Homerus.*

Sedem sic resurrectionem

Sadducæi

*Liber de carne
CHRISTI
prodeus*